



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

Epistola VIII. Caelestini Papae I. Ad Synodvm Ephesinam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

EPISTOLA VIII.  
CÆLESTINI PAPÆ I.  
AD SYNODVM EPHESINAM.

**S**PIRITVS sancti testatur præsentiam congregatio sacerdotum, &c. *Extat in actis Concilii Ephesini, part. 2. cap. 14. Estque alterius translationis. Incipit sic.* Sacerdotium Spiritus sancti præsentiam declarat.

EPISTOLA IX.  
CÆLESTINI PAPÆ I.  
AD THEODOSIVM.

Commendatur pietas Theodosii.

*Cælestinus episcopus Theodosio Augusto.*

**S**VFFICIAT licet, quod sollicitudo vestræ clementiæ circa fidei catholicæ defensionem, cui pro Christi Dei nostri amore, qui vestri imperii rector est, adesse modis omnibus festinatis, integram immaculatamque eam, prauorum dogmatum damnato errore, seruatis; in hoc semper munimen vestri constituentes imperii, scientes regnum vestrum sanctæ religionis obseruantia communitum firmitus duraturum: sed huic cælesti curæ vel gloriæ vnusquisque nostrum pro sacerdotali officio operam nostram, in quantum valemus, impendimus, & huic Synodo, quam esse iussistis, nostram præsentiam in his, quos misimus, exhibemus; pietatem vestram sub diuini obsecrantes obtestatione iudicii, ne quid turbidæ nouitati licere vestra mansuetudo permittat, neve facultas aliqua his, qui diuinæ maiestatis potentiam in humanæ disputationis rationem arctare contendunt, quo perturbetur pax ecclesiastica, tribuatur.

Quæ præcipue reges curare debeant.

Maior vobis fidei causa debet esse quam regni, ampliusque pro pace ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo sunt cariora seruentur. Abraham fide floruit, omnemque orbem gloria suæ prosperitatis impleuit. Moyses populi libe-